



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

Toledo, Francisco de

Coloniæ Agrippinæ

28. De 16. & 17. excommunicatione in Bulla Cœnæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

Secundus, quando est licentia Episcopi proprii, vt habetur cap. 2. de foro compe. quod intelligitur de causa ciuili, vt notat Silu. v. iudex. l. §. 4.

Tertius est, per viam reconuentionis, vt habetur. 3. q. 8. can. 1. iuncta Gloss. quod etiam in causa ciuili intelligitur, vt idem Silu. notat. Gloss. in d. c. 2. ver. aut. de for. comp. Et hæc sententia, quod per viam reconuentionis laicus possit iudicare, in causa ciuili est communis, & à consuetudine approbata, secundo Ioan. Andr. licet non desint Doctores grauissimi contrarium affirmantes, vt notat Abb. in c. at si clerici. nu. 21. de iudic. Quæ autem sit libertas Ecclesiastica, & quando legi dicatur, inferius explicabitur, cum de quadam iuris excommunicatione, quæ super hoc idem lata est, agemus.

De Decima sexta, & Decima septima excommunicatione in Bulla Cæna contentis.

C A P V T XXVIII.

Decima sextæ excommunicationis tenor talis est. Nec non, qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, vel inferiores, Prælatos, & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque vtantur, secundum quod Canones, & Sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias, & decreta, aut alias fori eccl. Iudiciū eludentes ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant; eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrociniū, & fauorem in eisdem. In hac nihil occurrit adnotandum.

Decima septimæ excommunicationis tenor hic est. Quiue iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus ad nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum

Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant; vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrant.

Aduerte ex Caietan. verb. excommunicatio. cap. 27. aliquas esse necessarias condiciones, vt aliquis contrahat hanc excommunicationem.

Prima est, vt sint bona pertinentia ratione beneficiorum, Monasteriorum, vel Ecclesiarum, si qua enim bona habentur personæ Ecclesiasticæ aliunde prouenientia, hæc vsurpare, licet peccatum sit obligans ad restitutionem, censuram tamen hanc non inducit.

Secunda, vt sint bona pertinentia ad ipsas personas Ecclesiasticas, ratione beneficiorum, monasteriorum, vel Ecclesiarum obtentorum; vnde, quando beneficia vacant, nec ad personam vllam adhuc pertinent, bona talia vsurpare, licet peccatum obligans ad restitutionem, tamen hanc censuram non inducit.

Tertia, vt sit ista vsurpatio cum quadam appropriatione, quasi ad ipsum vsurpantem pertineret, & hoc intelligit Caietan. quando dicit, vsurpare bona Ecclesiæ, vt sunt Ecclesiæ, vnde milites, fures, & alij huiusmodi, qui bona Clericorum rapiunt, sicut aliorum secularium, non sunt hac censura ligati.

Quarta est, vt id sit sine expressa licentia Sedis Apostolicæ.

De Decimaoctaua, & Decimanona excommunicatione in Bulla Cœna contentis.

CAPVT XXIX.

Decimaoctauæ excommunicationis tenor sic se habet. *Quiue collectas, decimas, talleas, prestantias, & alia onera Clericis, Prelatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia impetrata, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposta eorum à sponse dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel*